

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Prologus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

dere inito, me regem praeficere vobis: vt ego vos aduersus omnium impetus atque iniurias defenderem? Miluii fallaciis habent fidem imprudentes columbae, quae illius imperio se permittunt: ac singulae rapacibus tyranni laniuntur vngulis. Ea calamitate fuisse perhibetur, quae dixerit: merito iam stultitiae debemus luere poenas: discant superstitēs nobis tanto malo posthac cautius mercari.

LIBER II.

Prologus.

Exemplis continetur Aesopi genus,
 Nec aliud quicquam per fabulas quaeritur,
 Quam corrigatur error vt mortaliū,
 Acuaturque sese diligens industria.
 Quicumque fuerit ergo narrantis iocus,
 Dum capiat aurem, et seruet propositum suum,
 Re commendatur, non auctoris nomine.
 Equidem omni cura morem seruabo senis:
 Sed si libuerit aliquid interponere;
 Dictorum sensus vt delectet varietas,
 Bonas in partes, Lector, accipias velim.
 Sic ista tibi rependet breuitas gratiam,
 Cuius verbosa ne sit commendatio:
 Attende, cur negare cupidis debeas:
 Modestis etiam offerre, quod non petierint.

Multiplex fabularum vsus.

Genus scribendi, quo vsus fuerat olim Aesopus, exempla cumulat. Neque alius est fabularum scopus, quam vt ingenii humani grassus stupor auferatur meliori doctrina, et illi
 pe-

penetrans, quod diligentia acquiritur, acumen succedat. Quicumque ergo fuerit natus cum narratione iocus, dum aures afficit, atque suum praestat usum, non auctoris nomine, sed ipsa re suoque merito, commendatur. Equidem data opera veteris Aesopi consuetudinem servare studebo: attamen si quandoque commodum fuerit visum, inserere aliquid, ut sensus varietas delectet; istud, lector benevole, vitio mihi vertere noli. Sic fore credo, ut ipsa brevis tibi gratiam referat. Quam ne pluribus commendem verbis: attende, quaeso, cur morem non debeas gerere nimis cupide flagitantibus: illis contra, qui modeste agunt, ultro etiam offerendum sit illud, quod abs te petere dubitarunt.

FAB. I.

Iuencus, Leo, et Praedator.

Super Iuencum stabat deiectum Leo.
 Praedator interuenit, partem postulans.
 Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
 Et improbum reiecit. Forte innoxius
 Viator est deductus in eundem locum, 5
 Feroque viso, rettulit retro pedem.
 Cui placidus ille; Non est quod timeas, ait,
 Et, quae debetur pars tuae modestiae,
 Audacter tolle. Tunc diuiso tergore,
 Siluas petiuit, homini ut accessum daret. 10
 Exemplum egregium prorsus et laudabile.
 Verum est, auiditas diues, et pauper pudor.

Sine verecundia nihil potest esse rectum.

Cum leo victor staret super iacentem iuencum,
 C

cum,